



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Selingervs Ex Baronibvs Vvolhavsianis Abbas Heremi Octavvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



SELINGERVS EX  
BARONIBVS VVOLHAV-  
SIANIS ABBAS HERE-  
MI OCTAVVS.



ANNO millesimo septuagesimo primo Sigfridus archiepiscopus Maguntiaci Synodum suæ prouinciæ Episcoporum, mense Augusto, celebravit. In ea, præsentē rege Heinrico, conuictus largitionis, & rapinarum Carolus Constantiensis dignitate episcopali deiectus est. Cæsar succedere iussit Othonem Canonicum Goslariensem. Anno sequenti, ingrauescētē Cæsaris malitiā, multi ab eo defecerunt Sigfridus Maguntiacensis, Albertus Vormatiæ, Adelbero Vitzburgi, alij episcopi, & pene tota Saxonia. Vnde in Allemanniam metu

*A. D. N.*

*CID.  
LXXI,*

*A. D. N.*

*CID.  
LXXII,*

N 4 se rece-



A. D. X.

C19.

LXXIII.

se recepit. Anno millesimo septuagesimo tertio, Alexandri successor pontificatus creatus Gregorius VII. nostri ordinis, ex Comitibus Bitilianis Hildebrandus prius nominatus, & Cluniaci monachus. Dignitatem is cepit x. Kal. Mal, magno omnium bonorum consensu, qualem ea tempora optabant, inter omnes pontifices præcipui zeli, & auctoritatis, vere apostolicus. Cæsar in Allemanniam, vti diximus, regressus Augustæ Vindelicorum aliquandiu egit. Vnde ad eum Selingerus misit qui monasterij sui, more tradito, confirmationem priuilegiorum peterent. Neque is denegauit, accedente maxime Berchtæ reginæ intercessu, & archiepiscoporum quoque Vtonis Treuerensis, & Gebhardi Salisburgiensis, Othonis etiam Constantiensis præsulis auctoritate, & precibus. Huius rei, quia singulari elegantia est, scriptum adiunxi. Tale est.

**I**N nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuinâ fauente clementiâ, Rex. Non magnum est carnalia nostra metere his, qui nobis spiritualia non cessant seminare. Oportet enim nos, qui sumus carnales, quique solitudinibus huius mundi inseruimus, spiritualium virorum orationibus commendare, præcipue his, quos, omnibus relictis, soli Christo IESU cernimus vacare, per quos cum spiritualem sustentationem accipimus, merito eis carnales consolationes, de quacumq; re petierint, rependimus. Vnde quosdam monachos petentes exaudiuimus, quorum orationi nos, & ad DEVM pro nobis petitioni commisimus. In monasterio siquidem sanctæ DEI genitricis, & Virginis MARIE, & sancti MEGINRADI, Mauritij quoque, sociorumque eius, quod Solitarium vocatur, vulgo Einsidelen, fratres habitantes nos adierunt, qui quidem non de nostris aliqua metere: sed aliorum messe collecta nostro parrocinio obtinere petierunt: Videlicet consolationes quas de multis, siue in prædiis, siue in aliis quibuscumque mundi substantiæ speciebus, vel acceperant, vel accepturi sunt, nostri chirographi testimo-

nio, per-



nio, perpetuâ libertate, possideant. Quorum petitionem, quia iusta videbatur, fieri adiudicauimus. Iustum enim est, ut qui à carnalibus segregati sunt, à carnalibus non iudicentur. Nam & nomen eorum, & habitatio singulares eos insinuat. Ego ergo *Heinricus quartus DEI gratiâ Rex*, ad stipulationem presentium regni Principum Treuirensis, videlicet, archiepiscopi Vtonis, Gebehardi Saltzburgenensis archiepiscopi, Ottonis Constantiensis episcopi, ceterorumque fidelium nostrorum, super omnia autem annitente Berhtâ & regni, & thori particeps, predictis monachis de Einsidelen libertatem petitam trado, traditam adfirmo, scilicet, ut nullus successorum meorum, de aliqua substantia eorum possessa, vel possidenda, prædiis datis, vel dandis, Cellis constructis, vel construendis, se intromittat; Nisi fortè, quod absit, aliqua in illos raptorum insania surrexerit. Aduersus quos, rogo, ut insurgat, quos trucidet, & eradicet. Cumque abbatem constituendum tempus poposcerit, non quilibet Regis potestate eis præponatur, sed quem fratrum electio idoneum iudicauerit, regis tam petitione, quam constitutione huius nominis onus subire cogatur. Omnia vero cetera ad neminem, nisi ad abbatis nutum, respectum habeant, & fratrum. Huius libertatis memoriale, hanc paginam scribi iussimus, quam, ut infra videtur, propriâ manu nostrâ corroboratam, & sigilli nostri impressione insignitam omnis generationis tam future, quam presentis notitia reliquimus.

*Signum Domni Heinrici quarti Regis humilissimi, & invictissimi.*

*Adalbero Cancellarius vice Sigefridi archicancellarij recognoui.*

*Data est VIII. Kalen. Iun. Anno Dominice Incarnationis. M. LXXIII. Indictione XI. Anno autem ordinationis Domni Heinrici IIII. Regis XVIII. Regni vero XVII. Actum est Augusta. Feliciter in nomine Domini IHCOY.*

Quo



Quo in rescripto id quoque notavi, & memorabile duxi, quod cum Henricus, tantâ pertinaciâ, sibi, veterum Pontificum consensu, & auctoritate, vti præ se ferebat, dignitatum Ecclesiasticarum, & sacerdotiorum, quibuscumq; in contrarium priuilegijs niterentur, collationes vindicaret, adfereretque, tamen ab abbatis Heremitarum institutione non solum ipse abstinuit, sed suos quoque successores temperare voluit. Recto, & sano iudicio, *Iustum esse* pronuncians, *vt qui à carnalibus segregati sunt, à carnalibus non iudicentur.* Enimvero neque pontifices summos præesse, nisi ex sua voluntate, animum induxerat. Et sanè eadem in vrbe cum de Gregorij Pontif. electione nuncium accepisset, etiamsi doctum, integrum, sanctum non ignoraret, tamen, quia iniussu suo, ad pontificiæ dignitatis culmen adscenderat, Eberhardum Comitem Nellenburgiensem Romam subito misit, qui administratione pontificiâ interdiceret. Et responso ab Gregorio pleno æquitatis, & iustitiæ accepto, in eius postea electionem consensit. Sed Gregorius vbi primum pontificatum ingressus est restituendæ Ecclesiæ dignitati animum, curamque maturè aduertit. Et quia sacri ordinis excellentiâ ante omnia indignum arbitrabatur, si muneris executionem ab laicis acciperet, eorumque beneficiarius, & subditus esset, Synodum apud Lateranum anno sequenti fecit, in qua ita de sacerdotijs decreuit, *vt qui à laico Ecclesia inuestituram acceperit, quiq; dat, quiq; accipit anathemate obligetur.* De clericis verò, *uxores ne ducant, quiq; habent, eas, aut sacerdotium amittant, neque quisquam ad id vocetur, qui non perpetuum calibatum professus sit.* Scripsit & ad Cæsarem Ecclesiasticis collationibus abstineat, ni faciat, sacrorum interdictionem minatus. Graues inde in Ecclesiâ, sed præcipuè Germaniâ turbæ, instigante etiam ipsos Episcopos, & antistites, ob calibatus interdictionem, contra pontificem Cæsare. Et Erdfordiæ Synodus Germaniæ Episcoporum super eo habita, præside archiepiscopo Maguntiacensi, mense Octobri, cum is Gregorij instituta, & auctoritatem maximopere laudaret, & tueretur,

A. D. X.

CIC.

LXXIV.

prope



prope ab conuentu interfectus est. Anno millesimo septuagesimo quinto, ad primas rebelliones obuiam eundem Cæsarratus, subitâ manu ex Allemanniâ, Bauariâ, & Bohemiâ confectâ, in Saxoniam inuasit, prælioque conferto, magnâ vtrimque clade, victoriam tamen tenuit VII. idus Augusti. Ea in pugna insignis inter ceteros virtus Rudolphi Allemanniæ ducis fuit. Sequentis anni initio, Gregorius, cum superiora Cæsar monita ludibrio habuisset, cum Romam suæ Simonix, aliorumque, quibus premebatur, facinorum rationem coram concilio daturum, primâ post cineres hebdomade, additâ excommunicationis, si abfuisset, poenâ, conuocauit. Quod cum ægerrimè tulisset, legatosque pontificios malè habuisset, Vornatiæ multorum Imperij episcoporum, & antistitum conuentum agitauit, vtque Gregorium fraude creatum, suis sententijs declararent, magnis pollicitationibus, & premijs effecit. At ipsum verò cum Romæ ad conditum tempus non apparuisset pontifex sacro anathemate percussit, & omnes eius sectatores, subditos, & in primis Italianam eiusdem sacramento, & obsequio liberauit. Secuta hinc omnium pene Principum ab Cæsare defectio. Et licet omnia promississet, veteraque flagitia nouis virtutibus absterfurum, obsidesque in eam rem daturum, tamen, nisi intra annum piorum cæui restituatur, ne obsequium, aut opem speret, ab iisdem Principibus responsum accepit. Huius decreti seueritate, & Principum vnanimi cōsensu motus Henricus, nihil prius habuit, quam vt ab pontifice, quacumque conditione absolutionem impetraret. Itaque in Italianam nullo ingenuo comitatu profectus, Canusij, vbi Gregorius in Germaniam tendens, vt Comitij Augustanis, quæ indixerant Principes, interesset, audito Cæsaris aduētū, substititerat, multis poenitentix signis, eâ ratione anathemate solutus est, si se communi Germaniæ Principum conuentu stitisset, eorum iudicio acquieuisset, neque interim quidquam regiæ dignitatis vsurpasset, v. kal. Februarij anno millesimo septimo & septuagesimo. Sed breui non modo promissis non satisfecit, sed pontificem in summum discrimen

adduxit,

A. D. N.

CIX.  
LXXV.

A. D. N.

CIX.  
LXXVI.

A. D. N.

CIX.  
LXXVII.



adduxit, ipsum adeò Canusij, collectâ tumultuosâ manu, obsedit, proceres vtriusq; ordinis sollicitavit, totâ Italiâ, & Germaniâ, pluresq; in partes traduxit, sed maior, meliorque pars, quorû facilè principes Sigfridus Maguntiacensis, Berchtoldus Zeringiæ, Otho Saxonix, Rudolfus Allemâniæ duces, VVirtzburgiensis, & Mediomatricum episcopi; ad cetera flagitia, nouâ hac quoq; perfidiâ exstimulati, non modo præterita decreta confirmarunt, sed, comitijs Forchtheimi factis, Rudolfum Allemanniæ ducem cõtra Henricum Romanorum regem renunciarunt, & Maguntiaci xii. Kal. Aprilis per Sigfridum coronadum curarunt, ad probante, & ad obediendum ei, tamquam legitimo regi, omnes proceres adhortante pontifice. Scitum enim illud D. Ambrosij, atque immobile, *veteri cõsuetudine à sacerdotibus donatur imperia, non vsurpatur.* Neq; hoc minus Petri Cluniacensis, *Quamuis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamẽ super ipsos Imperatores imperium.* Sed Ecclesiæ dictum illud pertineat, non tantum prophetæ, *Constituite super gentes, & regna, ut euellas, destruas, disperdas, disipes, adifices, plantes.* Maguntiacò Rudolfus recta Constantiâ venit, indeq; Othonem episcopum, quia contrariam factionem fouebat, expulit. Pontifex Batauiensem episcopum administrare quoque Constantiam præcepit. At Henricus, auditâ noui regis electione, continuo in Germaniam redijt, auxilijsq; ducis Carinthiæ, & nõnullorum Italiæ, & Istriæ primorum Allemanniæ, & quæcumque Rudolfo fauebant, impunè vastauit, ipsum prope Sigmaringam profligauit, & ex toto ducatu Allemanniæ in Saxoniam eiecit, Constantiæ Othonem restituit. Qui secutus est annus totus per easdem partes regum, & factiones admodum turbidus fuit, multa prope totâ Heluetiâ, Elfatâ, Allemanniâ, Franconiâ bella, cades, vastitates, incendia, fortissimis per ea tempora pro Rudolfo rege sectatoribus Berchtoldo Zeringensi, & Guelphone Bauariæ ducibus. Reges quoque apud Stronouium amnem signa contulere, victoriâ incertâ, vtrisque per magnam tamen stragem fugam capeffentibus. Allemâniâ hinc Henricus rursum

popula-

A. D. N.

CIS.  
LXXVII.



populatus est, nec tamen quēquam ex primoribus subiugare præter Hugonem Montis fortis Comitem potuit. Is ad partes coactus transijt. Zeringensis anno millesimo septuagesimo nono Turgouia magnā partē, quidquid præterea Monasterij S. Galli erat, quia Vricus abbas ab Heinrico stabat, peruagatus est. Guelpho Rhetiā ad deditiōē, & Rudolphi partes compulit. Henricus interea conuētum suorū Vormatiæ celebrauit, Rudolphum ducatu Allemanniæ priuauit, ipsum Friderico Comiti ab Hohenstauffe cōmisit, & vna Agnetem matrimonio filiam. Nam & egregiē virtutis erat, & partibus hæctenus magnū præsidium attulerat. Sed Allemāniā totā potiri nunq̄ potuit, magnā eius partē Zeringis retinentibus. Hinc ipse, & posterī nō amplius se Allemāniæ, sed Sueuiæ tantū ferme duces nominarūt. Eodē anno iterū reges prælio cōuenerunt, cecideruntq̄; vtrinq̄; permulti, & jam prope lassitudine partes defecerāt, nisi postremo aduentu Comitis Cunonis cū milite recēti Rudolphus territus fugā cepisset, & Heinrico victoriam reliquisset. Anno millesimo octogesimo Gregorius Heinricū de integro, Cōcilio Lateranēsi, & omnes eius fautores excōmunicauit, Rudolphum cōfirmavit, & eidem coronam transmisit, & ad vindicandā ab Heinrici tyrānide rempub. & Ecclesię dignitatē maximo opere cohortatus est. Henric⁹ cōtra Maguntiaci suorū conuētum habuit, & Brixia: Ibi Germaniē, istic Italiæ episcoporum, qui Gregoriū perturbatorē vnitatis Ecclesiasticæ, & hostē pacis cōmunis iudicarunt, pontificiaq̄; dignitate indignum. In eius locū Giselbertum Rauennatem archiepiscopum, qui id multo antē ambiuerat, sollicitaratq̄; pontificē nominarunt. Is se Clementē III. dixit. Inde maiori conatu, & milite cōtra Rudolphum Henricus profect⁹, eū Idibus Octobris, summā Imperij in casum datā, prælio apud flumen Ellerstanum superatū interemit. Mox, pacatis aliquatenus Germaniæ reb⁹, in Italiā primo vere anni sequētis cū Clemente, qui ipsum excōmunicatione absoluerat, cōtra Gregoriū abiit, quicumq̄; imperium detrectarūt dānauit: Urbem & in ea Gregoriū obsedit. Romanorū egregiā virtute, & in suū præsidē amore repulsus, cum vicina ædificia incēdisset, basili-

A. D. N.

C I O.  
LXXIX.

A. D. N.

C I O.  
LXXX.

A. D. N.

C I O.  
LXXXI.

O

cam S.



A. D. N.

CIX.  
XXCII.

A. D. N.

CIX.  
XXCIII.

A. D. N.

CIX.  
XXCIV.

cam S. Paulli profanasset, Rauennā in hiberna discessit. Interea quidam Saxonix, & Allemanniæ primates Hermannum Luxemburgi Comitem regnare iusserunt, virum strenuum, dignumq; Imperio, nisi imperasset. Anno millesimo octogesimo secundo iterum Henricus Urbem aggressus est, Vaticanumq; siue Urbem Leoninam tamē expugnauit, temploq; D. Petri Apostolorum principis totius orbis augustissimo direpto, veterem circumuallauit, quam tamē breui per æstum, & propugnatorū fortitudinē relinquere coactus est, exercitu in vicina loca diuiso, & Clemente antipapa rei summæ præfecto. Sed proximo inde anno, iv. Nonas Iunias ipsam quoq; Urbem veterē in ditionem redegit, Gregorio, & Cardinalibus in arcem S. Angeli elapsis. Eam cū copijs omnibus cum etiā circumsedisset, & ad extrema jam Romani peruenissent, ab eo diem petiere, quo die accedere ad eum pontifex & proceres possent, & de re cōmuni, paceq; transigere. kal. Nouēbres destinauit. Eo die cū se Gregorius præsentix eius, qui tot diris deuotus esset, neq; suæ, neq; Apostolicæ dignitatis cōmittere dignum existimaret, colloquium recusauit; Romani deditiōnem fecere. Pontifex ad Robertum Apuliæ ducem euasit, cuius opibus adiutus, cum Henricus, ad eius aduentum, excessisset, Urbem recepit. Sed cum Romanis haut satis fideret, & in propinquo adhuc hostis esset, Cassinum primo, post Salernū concessit. Romani Henricū reuocauere, qui ix. Kal. Aprilis anni millesimi octogesimo quarti Urbē ingressus in Lateranū diuertit, ibiq; Episcoporum congregatā Synodo Gregorium abdicandū, & Clementem coronandū curauit dominicā Palmarum, à quo postea, die pascatis, Imperator vnā cum coniuge coronatus est. Inde in Germaniam, vbi grauiores turbæ, relicto Romæ cū præsidio Clemente, redijt. Aestate eadem in vrbe adeò atrox pestilētia prævaluit, vt præter ceteros Germanicū militem integrum absumserit. Et Romani, solitā mobilitate, aut libertatis, & rerū nouarum cupidine, captā occasione, Clementē vrbe eiecerunt. Neq; tamē reuocare Gregorius ausus, Salerni quorundā Galliæ, & Italiæ episcoporū, & procerū consilio, Henricum, & Clementem vnā cū fautoribus, nouis exsecrationū laqueis irretiuit, Othonem

Cardina-



Cardinalem, Episcopumque Ostiensem in Germaniam misit, qui Quintilijburgi congregatis Catholicis episcopis eadem contra vtrumq; decreta publicauit. Eodem exeunte anno Berchtoldus Zeringus, adsumto Guelphone Bauaro, & Burcardo Nellenburgensi cum magnis iterum copijs Constantiam profectus, Othonem inde expulit, Hermannique regis gratia, & fauore Gebhardum fratrem, qui Hirsaugiæ monachum agebat, episcopum instituit, vrbique introduxit xi. Kal. Ianuar. anni millesimi octogefimi quinti. Eumdem Otho Ostiensis Gregorij Pontif. auctoritate, & mandato confirmauit, & consecrauit. Breuis postea Gregorij vita fuit. Obijt v. i. i. Kal. Iunij, Salerni post tot contentiones propter Ecclesiæ constitutionem & libertatem fortiter susceptas, & toleratas. Memoria eius ad eundem diem tamquam beati capta celebrari. Cardinales & episcopi Catholici Desiderium Cassini abbatem successorem eius nominarunt, qui Victoris III. nomine haut diu superfuit. Henricus enim, vt fama fuit, per dolum è medio tollendum, quia in eum Gregorij censuras renouarat, curauit; alij in suo Monasterio suam mortem defunctum malunt, xvi. kal. Octobris anno millesimo octogefimo septimo. Sequenti anno, viii. Idus Martij Catholici pontificem crearunt Othonem abbatem Cluniacensem omni eruditione, & sanctitate vitæ tali dignitate dignum iudicatum, qui dictus Urbanus II. Non minori odio Vlricus abbas sancti Galli Gebhardum persecutus est, quam fratrem Ducem Berchtoldum, à quo tot antè damna acceperat. Multaque inter vtriusque copias factæ, hoc, & sequenti anno congressiones, & cædes. Sed Constantienses etiam suburbana S. Galli incenderunt, ægreque agrestium magno concursu monasterium seruatum ab flammis. Berchtoldus fratri auxilio profectus monasterium quoque oppressit, & quidquid incendio superfuerat euertit, monachis eiectis, nonnullis cæsis, alijs vulneratis. Eodem anno octogefimo octauo, obijt regina Bercta Heremitarum inter Patronas haut minima. Hermannus rex Maifestatem regiam quoq; sponte exiit, & in gratiam cum Henrico redijt, circiter medium Octobrem. Is vero vigiliam Nati-

A. D. N.  
C I O.  
LXXXV.

A. D. N.  
C I O.  
LXXXVII.

A. D. N.  
C I O.  
XXCVIII.



A. D. N.

CIX.  
XXCIX.

uitatis cum Egberto marchione Turingiæ apud Glicham congressus magnâ suorum cæde fusus, & fugatus est. Anno sequenti in Italiam tetendit, vbi fermè septēnium egit. Mantuam cum venisset legit Constantiensem episcopum contra Gebhardum, Arnoldum S. Galli monachum, quem omnibus viribus Cæsaris mandato Vlricus abbas Constātiā inducere conatus frustra fuit, repulsus è mœnibus fundis, & iaculis non absque suorum sanguine. Suburbana tamen vastauit, & quidquid opidanorum fuit. At illi magnis copijs vrbe effusi hostem latè quoque persecuti sunt, donec apud amnem Taurum circumventi à S. Gallensibus penè omnes interirent. Petiuit ad eam cladem Gebhardus fratris auxilium, qui subito ex Brisgouia, vbi tum contra *Heinrici* fautores pugnabat, in abbatis ditionem militem rapuit, ingentemque vastitatem attulit, S. Gallensibus, & monasterialibus ad extrema redactis, aut eliminatis.

A. D. X.

CIX.  
XC.

Anno millesimo nonagesimo, cum Selingerus jam vicesimum administraret annum per tot Germaniæ, & Imperij turbas, dissidia, vastitates, bella, quæ non minus varijs partibus in sui monasterij bona, & possessiones redundarunt, damnaque ingentia attulerunt, valetudine aduersâ, & ætate ingrauescente, sponte abdicauit, adhibitoq; fratrum consilio Rudolfum Camerarium ex Comitibus Raperfuillanis successorem instituit. Ipse ad vitam priuatam reuersus eam ad nonum vsque annum prorogauit. Quamuis reperiam in ephemeride notatos Rudolphi annos ab excessu Selingeri, & fuisse interea magis vicarium, quam Abbatis nomen, aut dignitatem sumfisse. Alia monumenta, quæ sequimur, contra tradunt, & Rudolphi gubernationem ex hoc anno, vti & dignitatem, auspicantur.

RVDOL-